Quelle: https://manuscripta.at/?ID=35036
Copyright: Brixen/Bressanone, Priesterseminar/Seminario Maggiore



c lxxxv

filium meum de latere meo ancille me dormientis. & collocauit in sinu suo. suum autem qui erat mortuus posuit in sinu meo. Cumque surrexissem mane. ut darem lac filio meo. apparuit mortuus. Quem diligenter intuens clara luce deprehendi non esse meum quem genueram. Respondit alta mulier. Non ita est. sed filius tuus mortuus est. meus autem uiuit. Econtrario illa dicebat. O erroris. filius quippe mus uiuit. & filius tuus mortuus est. Atque in hunc modum. contendebant coram rege. Tunc rex ait. Hec dicit filius mus uiuit. & filius tuus mortuus est. & ista respondet non. sed filius tuus mortuus est. & filius mus uiuit. Dixit ergo rex. Afferte mihi gladium. Cumque attulissent gladium coram rege ait. Diuidite inquit infantem uiuum in duas partes. & date dimidiam partem uni. & dimidiam alteri. Dixit autem mulier cui filius erat uiuus ad regem. Commota sunt enim pre misericordia eius super filio suo. Obsecro domine. date illi infantem uiuum. & nolite interficere eum. Econtrario illa dicebat. Nec mihi nec tibi sed diuidatur. Respondit rex et ait. Date huic infantem uiuum. & non occidatur. Hec est enim mater eius. Audiuit itaque omnis israel iudicium quod iudicasset rex. & timuerunt regem. uidentes sapientiam dei esse in illo ad faciendum iudicium.

In illo tempore erat pascha iudeorum. S. Johannem.

Ascendit ihs ierosolimam. Et inuenit in templo uendentes boues. & oues. & columbas. & nummularios sedentes. Et cum fecisset quasi flagellum de funiculis omnes eiecit de templo. oues quoque. & boues. & nummulariorum effudit es. et mensas subuertit. & his qui columbas uendebant dixit. Auferte ista hinc. & nolite facere domum patris mei domum nego